

aliis alimentis, maxime grossum. Idem etiam aliquando præstant opiate, alias minus, saltim externe, oculis proficua.

Roborant, quæ concentrant etiam magis radios, & sic debilibus spiritibus succurrunt, vt perspicilia, quibus adhibitis aliquo tempore, sæpe ita recreantur oculi, vt succedente tempore iis carere possint ægri. Varianda hæc sunt in conuexitate pro pupillæ mechanica diuersa, alia pro lusciosis, Minnen-Gläßer dicuntur, alia pro aliis.

Roborant, quæ excessum omnem alium tollunt, vel mitigan. Remedio opus est, inquit *Seneca*, quo purgeatur acies, & officientem sibi noxam effugiat. Non est, inquit, quod protinus imbecillem aciem committas aper-
to lumini, a tenebris primo ad vmbrofa procede, dein-
de plus aude, & paulatim claram lucem pati adsue-
fse &c. &c. epist. 49. vnde plura huc addi merentur.

III. Obex tollendus, seu quod oculis oppositum moratur aci-
em, positiue magis, remouendum est.

Remouent exterius illa extergentia, dissipando, &
actuali quoque aliquando defricatione. Quando enim
glaucoma adest, nonnunquam frictio lenis cum pumice
prodest, vt sic laevigetur cornea, sed caute admodum.

Remouent acus, siquidem concrementum sit satis
crassum, vt acu immissa per corneam ad latus conuolu-
atur, & ad fundum oculi deprimatur, restituto sic sta-
tim sæpe visu, sed non statim impendendo, per dicta.

Neque desperandum est statim, etiamsi non e vesti-
gio idem redeat, mora & expe&tatione etiam hic opus
est, ad roborandum debilitatum elaterem, ad disiicien-
dum & dissipandum coagulum, ad alterandos humores,
& spiritus.

Antecedentia hinc spectanda quoque, vt tententur
reliqua omnia, vt præmittantur vniuersalia, in primis pur-
gantia, ad tollendum affluxum, vt probe diiudicetur, an
tolli possit, pupilla non angustata, sed patente satis, quie-
ta cataracta, & oculi bulbo cæteroquin bene habente.

Ope-